



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Sectarius sacerdos quis sit. tit. 86

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

Tertiò, fructus non adhærentiũ illis, est salus æter-  
na, iuxta illud Mat. 24. Beati qui perseverauerint vl-  
que in finem. Subindè, efficax virtus sacramentorum.  
Ideo magna differentia est inter fidem, quæ intra Ec-  
clesiam est in Christum, & quæ extra Ecclesiam, vt di-  
cit Augustin. Epistola 48. Multi retinentur apud se-  
ctam, quòd putant nihil interesse, vbi Christi fides &  
nomen tenetur, siue intra siue extra Ecclesiã, sed hoc  
falsum est. Nam Paul. 1. Cor. 13. fidem sine dilectione  
nihil prodesse asserit. Scientes igitur non sunt excu-  
sati, Nescientes Deo committit Ecclesia, & constan-  
tes coronabuntur. Plus ergo respicias Deum & sa-  
lutem animæ tuæ, quàm homines, &cæt. Nulla pote-  
stas ligat in ijs quæ contra Deum sunt: sed ab vnitate  
Ecclesiæ recedere, est contra Deum. Ideo nemo huc  
obedire tenetur.

## SECTARIVS SACERDOS

*quis sit.*

## TITVLVS LXXXVI.

**S**ERIA sunt noranda. Primò, quis sit se-  
ctarius sacerdos: Secundò, cur fugi-  
endus à catholico: Tertiò, fructus il-  
lius.

Primò, Apostolus prædixit exorituras  
sectas varias, 2. ad Tim. vlt & quamlibet sectã sibi eli-  
gere Magistros, Doctores, sacerdotes ad sua desideria  
id est, qui conceptam sectam doceant & defendant,  
sicut Lutherani suos habent magistros, Zuingliani  
suos, Anabaptistæ suos, Osiandristæ, Illyricani &cæt.  
Sic Ieroboam permisit, vt quicumque vellet prædica-  
re erectos vitulos &cæt. & illorum cultum, is esset sa-  
cerdos, 3. Reg. 13. & quoniam illi omnes declinant, &  
scindunt se ab vnitate Ecclesiæ catholicæ in doctri-  
na fidei & vsu sacramentorum ac ceremoniarum &c.  
tamò blasphemant totam Ecclesiam catholicam,

Q9 2 &amp;c. idcò



&c. Ideo sunt sectarij & abscissi ministri, seiplos plimùm segregantes, vt Iudas dicit, non habentes spiritum sanctum, subindè denunciati Ecclesiæ, Matt. 23. per capita, id est, Papam & Imperatorem, tanquam rebelles & ethnici facti &c.

Secundò, fugiendi sunt, primò, quia eorum sermone quo Ecclesiam DEI scindunt & diuidunt, vt canonicis moribus sathana cooperante serpit, 2. ad Timotheum. Per longa tempora vix ædificatur fidei veritas, sed valdè citò vulnerat sermo hæreticus. At Christus vult nos in vna fide & corpore esse, 1. Cor. 12. Rô. 15. Eph. 4. Ioann. 10. Vnum ouile. Ideò inquit ad Titum Paulus, vt tales hæreticos vitemus, quoniam subuersi sunt, id est, à fide, doctrina catholica & sacramentis, quæ antea docuerunt, nunc sunt in reprobo sensu, Rom. 1. Priùs commendârunt opera, obedientiam superiorum, veritatem sacramentorum, iam opprobrium docent. Nam hæreticus est, qui per verba legis Euangelij, legem & Euangelium impugnat. Priù enim sensum & glossam adstruit ex verbis Euangelij, vt prauitatem mentis suæ Euangelij authenticitate confirmet: idè vitandi, & non audiendi. Peccati enim, & proprio iudicio sunt damnati, quia fidem quam accepit primò vt veram, nunc vt falsam impugnat: & sic diuidunt corpus Christi mysticum in duas perditionis, Gal. 5. peiores latronibus qui Christi tunicam noluerunt diuidere, Ioan. 19.

Tertio, fructus sectarij bonus nullus est, quis enim è spinis colliget fructus? Matth. 7. Subindè, licet schismatici sacerdotes qui per verbum Dei à catholico Episcopo sunt ordinati, verè consecrent, baptizent, absoluant: nam virtus illorum non ex dignitate ministerij est, sed Dei, hic est qui baptizat, Ioan. 1. Tamen non consecrati, nihil efficiunt, vt omnes tenent catholici doctores & Ecclesia, estq; etiã sententia Cypriani. Insuper suscepta sacramenta ab hæreticis



ticis & schismaticis non sunt utilia & efficacia propter labem schismatis: redeunt enim illico peccata, sicut cum seruo nequam, Mat. 18. Ideo sunt sine utilitate medicinae sacramenta ab hereticis ministrata. Vnū, id est, charitas, deest: sine unitate nullum sacramentum prodest, 1. Cor. 13. Si habuero omnem scientiam & cetera omnia etiam sacramenta propter unitatem distribuuntur: ad vnum corpus baptizamur, 1. Corint. 12. Vnus panis in eucharistia fieri debemus, 1. Corint. 10. ad reconciliationem absolui mur & cetera. Ioann. 20. Vnitas ergo pluris est, quam ipsum sacramentum. Mat. 5. Vade reconciliari. Ideo catholici semper vitant illorum praedicationem, ordinationem, sacramenta & cetera.

*EUCCHARISTIA QUID SIT.*

TITVLVS LXXXVII.

**E**UCCHARISTIA sunt notanda. Primò, quid sit sacramentum Eucharistiae: subindè, cur à Christo in Ecclesia institutum. Postremò, qui sint fructus dignè vntium.

Primo, sacramentum altaris est verum, viuum, & iam non vltra mortale corpus & sanguis Christi cum diuinitate adunitum, sub specie panis & vini ab ipso Christo institutum, vt vramur illo ad commemorationem & recordationem mortis suae in cruce pro nostris peccatis. Primò, hic est Christus viuens verè, immortaliter, sicut resurrexit à mortuis. Rom. 6. amplius non moritur & cetera. Secundò, adunitus cum diuinitate, quae duo semel in vna persona assumpta, id est diuinitas & humanitas Christi, nunquam separantur in aeternum. Ideo Apostoli post resurrectionem adorant illum. Et Thomas inquit Ioann. 20. Deus meus & Dominus meus. Tertiò, Matth. 26. Accipit panem & cetera. Hoc est corpus meum & cetera. Hoc facite in mei

Qq 3      comme-